DEO OPTIMO MAX.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis undecimâ menſis Decembris, anno Domini M. DCC. XLIX.

M. MICHAELE-PHILIPPO BOUVART, Regio Profeſſore & Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Doctore Medico, Præſide.

An acida Peſtis Antidotum?

I.

PESTIS morbus periculoſiſſimus, vel ſolo nomine formidabilis. Peſtis λοιμὸς Græcis dicta, eſt morbus *epidemius*, contagioſus, pernicioſus, à veneno ſubtili & putrefaciente ducens originem. Illius morbi cauſa duplex, alia *occaſionalis*, alia efficiens. *Occaſionalis* non una quidem; anni ſcilicet tempeſtates inæquales, aër ultra modum ſiccus vel humidus, calores immodici, pravæ terrarum exhalationes, aquæ corruptæ, cadavera inſepulta, frumenta corrupta, pravi cibi, fames denique. Nec inter has cauſas oblita volunt quidam authores animi *pathemata*. Hæc omnia totidem cauſæ *occaſionales* & communes febrium malignarum & peſtilentium *epidemicarum*, nunquam verò apud nos cauſæ ſunt primariæ peſtis, quæ his in regionibus aliquoties ſævit. Peſtis enim verè apud nos exotica eſt, & prorsùs extranea ex communi omnium authorum conſenſu. Proſper Alpinus ait, merces inquinatas, ex Syriâ, Barbariâ advectas, peſtis faces in Ægypto accendiſſe. Idem author, ait quidem, frequentibus Nili inundationibus, morâ aquarum & corruptione, procreari vapores, totidem ſemina morborum malignorum & peſtilentium; ſed affirmat veram peſtem etiam in Ægyptum quæ calidiori quàm nos Sole uritur, ab extraneis tamen afferri locis. Teſtantur & Medici omnes, quotquot ægris (*a*) opem tulere in Maſſilienſi peſte ultimâ, anni ſcilicet 1720. Teſtantur & antiquiores (*b*) qui in Europâ diverſis temporibus, diverſiſque locis operam dederunt peſte afflictis. Sedes peſtis propria regiones torridæ (*c*). Rariſſimè temperatis & frigidis in regionibus primariò & ſubitò naſcitur, ſed ad eas per contagium ex calidiſſimis oris pervenit. Quænam ſit cauſa primaria hujuſce luis, ambigitur. Fatentur verò multi Medici, eſſe in ſanguine ægrotantium, partes quæ ſunt vera ſemina morborum, quibus iidem morbi poſſunt communicari & reipsâ communicantur. Homo, v. g. *variolis* & aliis morbis correptus, alteri ſano eas facilè tranſmittit. Quid ſunt verò illa ſemina? Salia & ſulphura intellige. Illa variè miſcentur, variè *modificantur*. Pro diverſo gradu *exaltationis* & *volatiliſationis* varios edunt effectus. Sic in hiſce regionibus febres malignas, in aliis peſtem generant. Peſtis enim quæ in nativo Solo oritur, ducit originem à ſingulari humorum *craſi*, quâ liquores extra modum omnem, naturæ noſtræ tam exitialem contrahunt diatheſim, ut in primigenia corporis noſtri principia tranſire prorsùs reſpuant, eaque potiùs pervertant, hæc, humorum corruptionem & putredinem generat; quod demonſtrant ſigna hujus morbi. Ex illâ putredine, quæ efferuntur *miaſmata*, ſunt ſalia acria, *alkalia*, volatilia, fontes plerumquè morborum peſtilentium; ab homine peſte inquinato, ſimilia, & magis adhuc *corroſiva* effe-

(*a*) Relation hiſtorique de la peſte de Marſeille. Obſervations ſur la peſte de Marſeille par Mrs. Michel & Bertrand Médecins aggrégés à Marſeille. Peſtallozzi, diſſertation ſur la peſte & autres.

(*b*) Thucidides, de bello Pelop. lib. 2. Lucianus. Procopius de bello Perſico cap. 22. Evagre hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 28. Guy de Chauliac grande Chirurgie, Traité 2. Doctr. 21. chap. 5.

(*c*) Celeberrimus D. Geoffroy in Theſi an aqua ſæviente peſte προφυλακτικὸν eximium. I. Corol.

runtur, quæ ſani cujuſlibet hominis *perſpiratione* diſſoluta, novas excitant tragœdias. Duplici ergò origini, ſuos debet natales peſtis. Naturæ Soli, undè *endemii* tunc morbi nomen meretur. Contrahitur & contagio, mercibus nempè & veſtibus, aut aliis id genus *miaſmata* peſtifera diù longùmque ſervantibus, quibus veluti ſeminaria lues, ad exteros longè lateque diſpergitur, & tunc *epidemii* nomen obtinet. Inſignis ergò in hoc morbo, adeſt putredo, quam efficientem & proximam ejus cauſam dicunt. Quodcumque igitur remedium virtute corruptioni adverſante pollebit, & illam virtutem ſolidis partibus, humoribuſque inducere, vel illis inſitam, ſervare valebit, illud habeatur antidotus eximia.

I I.

S*YMPTOMATA* Græcè ſonant idem ac Latinè accidentia. Quemadmodùm à morbo ſunt, ita morbi cauſam, indolemque demonſtrant. Sic à veneni peſtiferi effectibus, peſtis cauſam agnoſces. Non iidem in omnibus. Primò levi horrore corripiuntur ægri. Torpeſcunt artus. Mox æſtus inſolitus urit præcordia. Intensè rubeſcunt genæ. Viſus turbatur; aut ardent, aut ſtupent oculi. Tinniunt aures. Linguæ ſiccitas adeſt, quandoquè nigredo. Aridæ fauces aſperâ ſiti deuruntur. *Nec ſitis eſt extincta prius quam vita bibendo* (*a*). Difficilem ſæpiùs trahunt ſpiritum, interdùm gemitu interruptum; & per anhela patientium ora fœtidus & nauſeabilis efflatur ſpiritus. Dolores capitis rariùs acres pungunt, ſæpiùs gravantes lecto affigunt. Vigiliis, delirio, *convulſivis* ſubſultibus, alii torquentur, alii ſopore gravi premuntur. Anxietas cordis magna. Febris adeſt modò levis, modò vehemens. Pulſus ſæpè validus, quandoquè naturali ferè ſimilis, aut lentus, interdùm debilis & creber, æqualis modò, modò inæqualis, vel etiam intermittens. Quibuſdam vires deficiunt omninò, aut proſternuntur, aut robuſtæ ſervantur ad mortem uſque. Urinam ſi inſpexeris, modò naturalis apparet, modò rutilans & flammea, modò cruda & tenuis, quin etiam ſæpè turbida. Morbus in nonnullis eâdem die has viciſſim ſubit mutationes. Adeſt ſingultus. Quibuſdam haud infrequentiùs læditur ventriculus, nauſeâ, vomitu binioſo fœtidiſſimo. Sudores in his pauci, aut nulli, in illis copioſi, in nonnullis graveolentes, coloris (mirum dictu) (*b*) *varii, citrini, purpurei, viridis, nigri, & velut ſanguinolenti*. Huic *ſymptomatum* iliadi, non raro accedit narium, oris, oculorum, aurium, penis, uteri, [mali plerumquè ominis] hæmorrhagia. Sunt quibus maculæ rubicundæ, purpureæ, violaceæ, nigræ, modò paucæ, modò multæ, hîc anguſtæ; illic latæ, at ferè rotundæ, nunc in unâ corporis parte, nunc in aliâ, ſæpè in toto corporis habitu appareant. In præcipuis corporis glandulis, tumores exoriuntur, bubones, *parotides*, *anthraces*, carbunculi. Quæquidem certiſſima ſunt peſtis indicia, præſertim ſi febrim aut comitentur, aut excipiant. Tales effectus immanem putredinem nonne denotant? In peſte igitur, ut ait Hippocrates, nil niſi corruptio, nil niſi putrefactio, quæ celerrimè corpora afficit, juvante ſcilicet eo quo vehitur aëre. Vis igitur peſtem ſanare, imminentem præcavere; talia adhibeas remedia, quæ ſolidas partes, ſimul ac fluidas, à tam contagioſâ putredinis labe vindicent, quæ peſtiferorum *miaſmatum* vi *ſepticæ* fortiter obſiſtant, quæ *miaſmata* illa arceant à corpore, ante illorum ingreſſum in corpus, enervent atque debilitent; ingreſſa, illicò præfocent & penitùs extinguant.

(*a*) Ovid. VII. metam, Lucr. lib. 6o.
(*b*) Frid. Hoffm. Diſſertatio de peſte. Theſis D. Chevalier. An curatio peſtis ex ſymptomatis?

I I I.

CERTISSIMUM ſanè adverſùs tam ſævum, ſubitumque malum, præſidium, fuga. Mox, longè, tardè; cede, recede, redi. Optimum & prudens conſilium! Sed quàm paucos ſanos ſervare potuit! Illo uti penes quemque non eſt ſemper. Propera igitur acidis ſubtiliſſimo illi veneno frenum injicere. His in caſibus Divina, ut ita dicam, quis neget exurgere commoda, ex omphacio, ſucco citri, aut aurantiorum, vel lacte acidiuſculo tempeſtivè adhibitis? Quis dubitet aceti vires & *energiam* in retundendâ peſtilentis aëris ferociâ? Cui tandem non nota, hujuſce acidi virtus & præſtantia in ſanguinis *inflammatoriâ diatheſi* refrenandâ? Acidis nonne domantur figunturve *ſpiritus malignitatis invectores*? Putrefactionem nonne ſiſtunt præſentem, nonne incipientem coercent? Quot vegetabilia, quot animalia, ſale & aceto condita, perlongùm intacta ſervantur? Aceto, nil certius, ad veſtes peſte inquinatas, mercesve omnis generis emundandas. Ad purgandum aëra nil ſalubrius. Illius partes volatiles, longè lateque quàm citiſſimè in auras diffunduntur, ut brevi teſtatur odor. *Illæ tunc particulæ* (a) *alexi-*

(*a*) Hecquet append. de peſte p. XLVI.

teriam formant atmoſphæræ nubem acidis denſatam, compactamve, in quam arietando, infecti aëris evibrationes citò fatiſcunt. Non tantâ vi impelluntur in ſuperficiem corporis, generiſque nervoſi. *Illæ partes iis particulis*, (b) *veluti balſamo, litæ, contagii ſpiculo manebunt inoffenſæ.* Aër tunc, ut ita dicam, his *miaſmatibus* liberatus, jam pulmones blandiùs afficiet, nec faces & incendia in ſanguinem poterit aſportare. » Ut inſpiratus aër, ait Fracaſtorius, (*c*) ſincerior ingrediatur, ... nares tangito ſpongiolâ aceto infuſâ. Æſtate & calidis temporibus, ait Diemerb. (*d*) multis corticem citri cavum, extractâ per parvum foramen medullâ, aut pomum eburneum..... cui parva ſpongia aceto theriacali madefacta erat impoſita, naribus objiciendum dedimus. Valleſius (*e*) etiam jubet ſpongiam vel linteum aceto intinctum, ſæpius naribus admovere : quod conſilium quoque probat Jacobus Horſtius. Quantum autem valeat acetum, ait Diemerb. (*f*) ad aëris peſtilentis emendationem, abundè ſatis compertum habent nautæ, qui Indos petunt. Multoties enim vehemens peſtis ipſos invadit, dum longiùs terris abſunt, quam cùm ob medicamentorum inopiam compeſcere nequeunt, ſolo multoties aceto, ſi ejus copiam habeant, profligare ſolent. Quod non tantùm ægris ad ſanationem, & ſanis ad præſervationem, exhibent, ſed eodem etiam totas naves interiores diligenter quotidiè abluunt & emendant, hocque pacto brevi tempore inteſtinum hoſtem expellunt. Hinc etiam Liddelius (*g*) jubet ædes illas, in quibus aliqui peſtiferi mortui ſunt, primò ſcopis benè emundare, ac poſtea aceto acerrimo abluere «.

[*b*] Idem.
(*c*) Fracaſtorius de morb. contag. p. 81. Geoffroy. V. Corol. Sennert de præſervatione à peſtil. Eucharius Rhodion dit, qu'aiant un bouquet de Ruë trempé dans le vinaigre devant la bouche & le nez, on peut parler à un peſtiferé, ſans gagner la peſte.
(*d*) Diemerb. lib. 2. cap. 2. Franciſcus Citeſius idem ſentit, & alii quammulti.
(*e*) Valleſius tract. de epidemi. cap. 9.
(*f*) Diemerb. lib. 2, cap. 5. p. 133. Rhaſes de re medic. lib. 4. cap. 25.
(*g*) Liddelius de peſte. Sennert idem ſentit.

IV.

Ex his itaque acida intùs & extrà exhibita ſummum peſtis antidotum eſſe teſtatur medicorum praxis unanima. » Tempore peſtis, inquit Diemerb. (*a*), cibos commendavi euchymos & facilis digeſtionis, ut ſunt, panis optimus, caro agnina, perdices &c. ova gallinacea, lac acidum ebutiratum &c, (quod etiam à Rhaſe valdè commendatur,) quorum condimenta conficere juſſi, cum talibus quæ cordis robur firmant, putredines impediunt & tollunt, ac corruptionibus malignis reſiſtunt : qualia ſunt vinum, acetum, omphacium, cappares, uvæ immaturæ, berberis, ceraſa morella acida &c. Potus ſit ſalubris, inquit Heurnius (*b*), cereviſia vim citreorum habeat; aquâ ſi quis utatur ei affundatur jolabium acoris citrei mali. Uno verbo, inſtat Diemerb : [*c*] animadvertimus, acetum fuiſſe unum ex optimis præſervativis, dummodò eo non uterentur aſthmatici, tuſſiculoſi, aliive qui aliquod pectoris aut pulmonum vitium habebant. Suâ verò, inquit alius Medicus [*d*], quodlibet corpus veſtitur atmoſphærâ, tranſpirantium nempè jugiter halituum nube, qui aëris inimicitiis, innatâ ſuâ indole corpus protegunt. Ab his veniet tutela fortior, ſi à ſanguine acidis imbuto dimanant, utpotè cujus diatheſim redolentes, depellendis hoſtilibus aëris miaſmatis illam objicient. Sint ergò ſanguinis efflatus acidis enutriti, atomorum acies, aut agmina erunt, quæ, veluti nubis interpoſitâ umbrâ, corpus tegent «. Hinc quoties *perſpiratio* inſenſilis particularum harum acidarum copiâ erit onuſta, toties nedùm faveat intromiſſioni horumce *miaſmatum*, ſi non deſtruat, ea multùm infringet. Hæc afferet bona (*e*) ſingularis corporum *atmoſphæra*. Nec noſtra nos fallit opinio. Expertis tandem crede Medicis. » Reperiuntur (*f*) viri valetudinarii, quorum inſenſilis perſpiratio eſt acida à naturâ aut morbo (*g*). Illi impunè peſte infectos adeunt. Miaſmata peſtifera, veſtibus ſuis adhærentia, ſecum ferre poſſunt, illæſi ipſi, & cum aliis peſtem communicare «. Felices ſanè illos ſuâ infirmitate valetudinarios. Imitetur ergò naturam Medicus, quem digna manet profligandæ peſtis gloria. » Acidum enim (*h*) genuina miaſmatis putridæ & ſulphureæ indolis videtur eſſe antidotus. Quippè quod, teſte Chymiâ, ſulphur & ſalia volatilia figit & enervat. Certâ & diurnâ experientiâ confirmatum habemus (*i*) poma citri, acetum vini, ſi quis iis dextrè uſus fuerit, alexipharmacis & aliis quæ in auxilium peſtis

(*a*) Diemerb. cap. 6. p. 137. Heurnius de febre peſtil. p. 113. Hoffm. idem ſentit.
(*b*) Heurnius de feb. peſtil. p. 113. & Riverius de feb. peſtil.
(*c*) Diemerb. cap. 10. p. 159. & alii idem ſentiunt.
(*d*) Hecquet append. de peſte; p. XLIV.
(*e*) Idem;
(*f*) Peſtalozzi, diſſertation touchant la peſte de Marſeille. p. 30.
(*g*) Idem.
(*h*) Hoffm. de feb. peſtil.
(*i*) Idem de venenis.

» prompta ſunt remediis, palmam præripere, quia nihil potentiùs putredini & motui
» ejus inteſtino reſiſtit quam acidum. Aceto vini os & nares probè colluenda, vel fru-
» ſtum pomi citrei ore tenendum, ventriculo quoque jejuno, parciùs tamen hæc aſſumenda
» eſſe peritiſſimi in peſte curandâ medici magno cum fructu imperarunt. Frangitur enim
» & enervatur hâc ratione immediatè & proximè contagii vis virulenta. In ipsâ enim
» peſte, morborum maximè maligno, ait idem author, (*k*) ſummum alexiterium dici
» meretur acetum vel ſimplex vel compoſitum. Succus quoque limonum, item pomorum
» citri, ſyrupus acetoſitatis citri, cum oleo de cedro conditus. Idem ſentit Diemerb. (*l*)
» acetum maximæ virtutis eſt adverſùs plurima venena, idemque etiam omnes Medici,
» jam à multis ſæculis experientiâ comperti ſunt, fortiter reſiſtere peſtilenti malignitati;
» nec ferè quemquam practicum invenias, qui ejus alexipharmacam vim non agnoſcat,
» & aceti uſum, tam in præſervatione, quàm in curatione peſtis, ſummis laudibus
» non extollat. Rhaſes lib. de peſte, cap. 5. acetum tanti facit, ut illud omnibus cibis
» & potibus, multiſque medicamentis admiſcere, eodemque etiam domos conſperge-
» re, & aërem corrigere juſſerit. Nos, ait Diemerb. [*m*] in hâc peſte vidimus multos
» pauperes, qui quotidiè manè aceti vini cochleare unum aut alterum bibebant, me-
» liùs fuiſſe præſervatos, quàm multos alios qui pretioſiſſimis antidotis utebantur.

(*k*) Hoffm. de ſpecificis, & Riverius de febr. peſtil.
(*l*) Diemerb. cap. 9. p 170. Peſtalozzi dit, dans ſa diſſertation ſur la peſte que les Habitans de Marſeille trempoient même leurs chemiſes dans le vinaigre avant que de les porter. D'où l'Auteur des obſervations faites ſur cette peſte conclut, p. 49, que le grand & ſalutaire uſage que les Médecins ont fait des acides détermineroit à croire que le ſpecifique contre la peſte, conſiſte en quelque eſpece d'acide.
[*m*] Diemerb. cap. 9. p. 170.

V.

IN noſtrâ ergò aſſertione, nec accuſanda præjudicata opinio, nec pertimeſcenda, ubi conſpirant in unum & ratio & experientia. Hipp. ipſe ſylvas integras combuſſit, ut acido ex lignorum oleis erumpente, [*a*] peſtem averteret aut abigeret. Quinimò acida etiam mineralia non minùs feliciter in uſum adhibuerunt Medici, tàm in peſte quàm in febribus peſtilentibus & malignis. Teſtis ſit Mindererus, qui ipſe locis peſte afflictis interfuit & de eâ egregiè ſcripſit. Diſertis, ait, verbis, *Nulla eſt putredo* [*b*] *nulla infectio, quæ per acida non ſuperetur; ſanè, ut liberrimè loquar, ſi mihi vitriolicorum remediorum uſus, vel interdiceretur, vel inhiberetur, ego ad curationem Peſtis nunquam vel certè inermis accederem.* Idem teſtatur Fonſeca. Joannes Crato, Augenius de Monte-Sancto, Martinus Rulandus & alii, in febribus peſtilentialibus *ſpiritum vitrioli ſummoperè prodeſſe teſtantur. Et ego*, ait idem Mindererus, *id teſtari ingenuè poſſum, me non modò cum ſyrupis, ſed etiam cum conſervâ roſarum, mixtum, felici cum ſucceſſu eum exhibuiſſe.* Quid plura? è ſulphure communi, ſuffimenta olim Hippocratis juſſu (*c*) omnium fuerunt efficaciſſima, ob acidum ſulphuri innatum, & ab igne evolutum. Ratum ergò maneat ab acidis peſtem extingui. Nullibì non reperies peſti acida competere. Nulla ergò præſtantior Antidotus acidis, quæ innatâ ſuâ indole *miaſmata* peſtifera deſtruere humorumque putredinem arcere & præpedire valent.

Ergò acida Peſtis Antidotum.

(*a*) Theſis D. Davier de Breville. An peſtis remedium ignis?
(*b*) Mindererus de peſte.
(*c*) Vide Tract. Diemerb. de peſte lib. 2. cap. 5.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joſephus Lallemant.	*M. Claudius Bourdier de la Mouliere.*	*M. Ludovicus-Maria Pouſſe, Cenſor Regius.*
M. Petrus Poiſſonnier, Profeſſor & Cenſor Regius.	*M. Guillelmus Ruellan.*	*M. Antonius Caſamajor, Cenſor Regius.*
M. Antonius Le Camus.	*M. Petrus Arcelin.*	*M. Raymundus de la Riviere.*

Proponebat Pariſiis LUDOVICUS - JOANNES - BAPTISTA COSNIER,
Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus,
A. R. S. H. 1749, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.